

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,
DE
SCRIPTIS ANTIQUORUM LINTEIS,
PARTEM POSTERIOREM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IMP. UNIV. ABOËNS.

PRÆSIDE

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,

Hist. Litt. Prof. P. O. & Biblioth. Ac. Præfecto,

PUBLICÆ DISQUISITIONI,

IN AUD. JURID. DIE XXVIII JUN. MDCCCXV,

horis p. m. consuētis,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

PROPONIT

CAROLUS AUGUSTUS GRUNÉR,

Stip. publ. Borea-Fenno.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

KAPTENEN
vid
f. d. Kongl. Åbo Låns Linie-Regemente,
Högådle HERR
JOHAN GUSTAF GRUNÉR,

samt

KAPTENSKAN
FRU
HEDVIG CHARLOTTA
GRUNÉR,
född CHÖLER;

Mina Huldaste Föräldrar!

*Emottagen dessa blad, såsom en ringa, men hjertlig,
gård af den sonliga tacksamhet, kärlek och vårdnad,
hvarmed jag framleffer*

EDER

ödmjuklydigste Son

CARL AUGUST.

Hæc ut defunctorum corpora ne putrescerent studiose curandum duxit, ita ingenii quoque monumenta vel ipsorum, vel vita adhuc superstitem, sortem aut suam querentium luctuosam, aut demortui beatam laudesque prædicantium, caro cum corpore terræ haud raro mandavit. Effodiuntur igitur adhuc illa regione Mumixæ sic dictæ, admiranda omnino arte optime servatæ, quas tegentia litteris aliisque signis nonnumquam repleta sunt involucria, interdum etiam perscripta alia his adjecta volumina. Linthea plerumque sunt illa, paucissima vero ab hominibus antiquitatis studiosis servata doctorumque virorum opera, haud dicam illustrata, sed descripta. Quæ ad nostram pervenere notitiam monumentorum hujusmodi, hæc maxime, litteris ornata, hoc loco commemorasse juvabit :

1:0 Laciniam tegumenti funerei, quæ Comitum olim fuit CAYLUS, deinde in Musæo servata est Suxæ Genovesæ, partem efficiens, ut conjicit illustrissimus eruditissimusque Comes, veli, cujus fragmenta octo, a Mumia quadam detracta, initio sæculi XVIII Galliam, ad Cancellarium DE PONTCHARTRAIN miserat Gallorum commercia Cahiræ curans legatus MAILLET (o). Descripta delineataque sistitur in *Antiquités expliquées*, Supplem. Tom. II. Tab. LIV, & feliciter in utramque partem in *Recueil d'Antiquités*, T. I. p. 65, Tabb. XXI—XXVI, — Calendarium in ea depictum Ægyptiacum, repugnante CAYLUS censens MONTEFALCONIUS, an firmo argumenta sua superstruxerit.

ad PLINIUM refert. Quantum enim nos indagare valuimus, Pugillarium tantum, h. e. tabellarum lignearum l. cerearum, usum fuisse etiam ante Trojana tempora apud Homerum nos invenire dixit PLINIUS.

o) Cfr. *Rec. d'Ant.* T. I. pp. 66, 67.

fluxerit fundamento examinare, a consilio hujus aberrat opusculi, nec tantas componere nostrum est lites; notitia quos delectet uberior, fontes adeant jam monstratos,

2:o Fasciam, funebrem etiam, integram, a CAYLUS, in operis laudati T. V. p. 76 sqq. & Tabb. XXVI—XXIX, formæ, materiæ figurarumque ibi comparentium descriptione expositam,

3:o Fasciam ejusdem generis alteram, ab eodem MAILLET etiam Europæ vindicatam, cujus, ære expressæ, adjuncta proluxa disertatione, copiam in *Memoires de Trevoux*, Juin 1704, orbi litterato dedisse Dom. RIGORD, *Masfliensem*, narrat CAYLUS (p). Ab ea, ni valde fallimur, Actis illis non lustratis, haud diversa est, quam & CAYLUS (q), & MONTEFAUCON (r) novis curis delineatam quoque stiterunt. — His adjungi potest

4:o Volumen linteum, cujus, ab antiquitatis quodam scrutatore servati, brevissimam fecit CAYLUS, *Rec. d'Ant.* T. I. p. 71, mentionem. Et

5:o fide illustrissimi ejusdem viri addemus, fragmenta multa textorum, signis variis symbolicis litterisve repletorum, æri incisa publici juris fecisse ATHANAS. KIRCHERUM in *Oedipi Ægypt.* T. III. p. 424, quamvis nec quot & quædam huc referenda sint, operis ipsius haud facta lustrandi copia, decerne-

p) Lib. cit. T. I. p. 71.

q) L. c. T. I. Tab. XXVI. N:o 11.

r) *Ant. expl.* Suppl. T. II. Tab. LIV.

nere, nec dubii, ratione genuini quod in illis sit ab harum rerum doctis moti (s), calculos remove, valeamus.

De *Hebræorum* scribendi more nihil hoc loco affirmare audeamus, tacentibus lintei in scribendo adhibiti usum & Sacris Bibliis & posterioris ævi scriptoribus, quibus prælucentibus, tam e genuino illo fonte, quam e vicinis, haustas contemplari nobis licuit antiquitates sacras. Constatendum vero hoc existimavimus, ut appareat nec ignorare nos judicia rem litterariam describentium quorundam, Hebræis linteam tribuentium scribendi materiam, nec nimis iisdem dedisse (t).

Nec est ut diu in iis moremur, quæ de *Parthis*, vestibus litteras intextentibus, prodita sunt memoriæ (u). Præter-

s) Vid. *Allgemeines Gelehrten-Lexicon*, von C. G. JÖCHER; 2 Th. p. 2096, ubi hæc sub nomine KIRCHER (ATHAN.) leguntur: "In seinem Oedipo Ægyptiaco hat er Griechische Inscriptions mit gedoppelt gezogenen Buchstaben vor Ægyptisch angesehen, bloß, weil sie in Ægypten gefunden worden."

t) WAHL l. c. habet: "Moses, der in Egypten, dem Vaterland der Leinwand, geboren und erzogen war, bediente sich vielleicht dieser bequemen Schreibmaterie zu seinen Schriften. Wenn nach Jerem. XXXVI, v. 23 eine Handschrift im Zimmer des Königs verbrannt wird, so wird das ein liber linteus gewesen seyn, da eine Thierhaut wegen des Gestanks nicht wohl im Zimmer verbrannt werden konnte." Quibus vero opposita conferantur, quæ statuit WARNEKROS (HENR. EHRENF.) *Entwurf der Hebräischen Alterthümer*, cap. XLIV. §. 4.

u) Vid. PLINIUS L. XIII. c. XXII. *Traité de Dipl.* T. I. p. 457. WEHR'S p. 47. WAHL l. c.

terquam enim quod linteis tantum indutos vestibus fas non fit repræsentare sibi eos, cum & aliam, vel telam, vel leviore paratam artificio amictus speciem, quotidianus facile ferret rerum variarum usus, &, luxuriam gignente opum affluentia, fastui Medicarum vestium molliori indulgisse hanc quoque gentem notum sit (*x*); scriptorum nomine appellandas quis contendat pannorum lacinias, acu pictis ornatas litteris quibusdam? Nec enim scribendo exarata hæ præbuerunt litterarum signa, nec segni adeo ad ingeniorum morumque cultum prorepserunt Parhi pasfu, ut ætate adhuc PLINII ineptum difficillimumque hunc cogitata sua exponendi modum vulgo amarent, vel eo utendum censerent nisi ubi singularis quid, ad excellentiam artificii aut magnificentiam morum ostendendam, efficiendum esset (*y*), non fecus ac feminas adhuc nostras rerum memoriam insignium acu posteris tradere interdum delectat.

Excipiant *Indi*, sed paucissimis quoque ablegandi verbis. Laudabili enim utcumque studio in rebus horum, æque ac omnium, quæ Asiam incolunt, gentium explicandis nostra defudaverit ætas; quis tamen nostrum eam adhuc profiteri audeat peritiam qua duce tutus ad antiquitates quasvis Indicas, spisa per sæcula caligine obductas figmentisque fabularum quamplurimis, a litterarum quarumvis cognitione ornatisimis olim populis horumque scriptoribus clarissimis, involutas indagandas procedat? PHILOSTRATO autem, in vita Apollonii Thyaneusis mentionem facienti Sindonis, subtilissimi pretiosissimique linteï, cujus usum molliori vestium præstantiæ vulgo attri-

x) Vid. JUSTINI *Historiar.* Lib. XLI. cap. II. & MELCH. GUILANDINI *Papyrus, h. e. Commentarius in tria C. Plinii majoris de Papyro capita*, pp. 147; 148.

y) Vid. GUILANDINI l. c.

attribuerit luxuria, litteris quoque construendis Indorum more inservientis, calculum adjicientibus suum recentiorum plurimis qui de rei litterariæ antiquitate scriptis quid memoriæ prodidere (z), fidem concedere haud dubitavimus, sperantes fore, ut continuato Indicarum rerum examine probata olim clarior eluceat.

Græcos quod attinet, haud quidem tacendum, fuisse (aa) qui ab illorum moribus minime alienam in linteo scribendi artem existimarent; simul vero confitendum, nobis horum non arridere opinionem, uno, quod a Peplo Minervæ, vel velo navis Panathenæicæ, singulis quinquenniis Minervæ ab Atheniensibus oblato, variisque figuris & eorum nominibus signato, qui fortes bello se præstiterant, ductum est, argumento nixam. Præterquam enim quod a singularis cujuscunque infituti rationibus, ad eorum, quæ in communi gentis universæ more posita fuerint, concludere haud liceat, neque Pepli illius ipsa, propius examinata, indoles id probare videtur, quod ejus exemplo illustrandum esset. Multum namque si tribuendum vel negemus SUIDÆ asserito (bb), unde *laneum* fuisse evincitur velum, de quo agitur, de iis tamen, quæ plurimis scriptorum aliorum occurrunt locis Panathenæa deficientium, suam detrudere non possumus vim, in eo conspicuam,

C

z) Cfr. LEO ALLATIUS, l. c. p. 126. HERM. HUGO *De prima scribendi origine & universa rei litterariæ antiquitate* p. 96, & C. G. SCHWARZIUS *De ornamentis librorum*, p. 26.

aa) Vid. *N. Traité de Dipl.* T. I. p. 457. LEO ALLATIUS & HUGO l. nup. c.

bb) Vid. SUIDÆ *Lexicon*, voce Πεπλος.

quam, ut intextas velo, non pictas in eodem, fuisse figuras signaque varia, inter omnes conveniat. Multa EURIPIDIS, PLATONIS, PLUTARCHI, SERVII, LUTATII, HARPOCRATIONIS, HESYCHII cæt. judicia, ita concinentia contulit MEURSIUS (cc), ut nullus dubio sit locus, quin variegantibus virginum texentium manibus, non picturæ vel scripturæ coloribus, telæ illitis, danda quæ peplum Minervæ distinxit multa signorum varietas. Quæ cum ita sint, haud scimus an levitatis merito accusaremur, Græcarum mulierum prudentiæ litteras, monumentis linteis servatas, plus debere contententes, quam Parthicæ illi, supra laudatæ, peritiæ.

Restant *Romani*, quorum moribus & sermone receptos certe, & quidem vulgo, fuisse scimus *libros*, proprie sic dictos, *linteos*, mentionem eorum facientibus LIVIO, PLINIO, FLAV. VOPISCO, SYMMACHO & *Codice Theodosiano*, *Mapparum* appellatione simul non exclusa. Adjungendos haud injuria censemus CLAUDIANUM & MARTIANUM CAPELLAM (dd), de *Carbasinis* loquentes scriptis, nostra ex mente a linteis illis non distinguendis, cum Carbasi nomine aut lintea, aut bombycina certe, tela audierit, vulgò tenuissima (ee). Prælucente sic antiquorum ipsorum face, ad uberiorem quidem Romanæ consuetudinis, linteorum usum librorum admittentis, notitiam proclivior nobis patet aditus, quam ad aliarum instituta gentium; quare illius haud ineptum duximus rationes peculiari jam persequi parographo.

S. 3.

cc) Vid. Ejus *Parathenæa* Capp. XVII—XIX.

dd) *De Philologiæ nuptiis* Lib. II.

ee) Cfr. BREITKOFF I. c. pag. 59 nota (f) & p. 123.

§. 3.

Privato tantum usui linteæ concedens scripta PLINIUS (ff), a verè admodum aberrasse videtur. Unis enim exceptis VALERIANI quotidianis, unde epistolam, ad ANTONINUM GAL- LUM CONSULEM scriptam, in Bibliotheca Ulpia inter libros linteos inventam, vitæ AURELIANI inseruit FL. VOPISCUS, no- vis forsan curis in linteam relatis tabulam, ut publico esent monumento, non eadem forma auctoris manibus emisissis (quod vel ipsa VOPISCI verba, "quæ omnia ex libris linteis, in qui- bus ipse quotidiana sua scribi præceperat, pro tua sedulitate condiscas" innuunt); nulla ejusdem generis monumenta memo- riæ nostræ tradiderunt scriptores priici, quæ publica non sint procul dubio censenda. Nec facile perspiciamus quomodo scribendi in linteo operam, molestam adeo & segnem, priva- tarum unquam tulerit rerum celerior festinatio. In contra- riam igitur non possumus non ire sententiam, judicantes, li- bros Romanorum linteos publicis maxime monumentis conser- vandis inserviisse. Quorum quæ ita servata fuisse novimus, hæc fuere:

1:o *Carmina Sibyllina*, de quibus CLAUDIANUS *De bello Getico* v. 232:

— — — — "quid carmine poscat"

"Fatidico custos Romani carbasus avi."

& SYMMACHUS Lib. IV. Epist. XXXIV: "*Monitus Cumanos linteæ texta sunserunt.*" — Ex antiquis annalibus memoriæ quæ prodita fuerint de libris Sibyllinis proferens A. GEL- LIUS (gg), materiam tacet, qua æternitas eorum constiterit:

C 2

nec

ff) *Hist. Nat.* L. XIII. c. XXI.

gg) *Noct. Att.* L. I. c. XIX.

nec nos, auctoribus carentes priscis, definire audemus quomodo initio exarati fuerint; sed materiam haud admodum teneram fragilemve postulasse ab eo saltem videntur tempore, quo sub terra conditi sunt. Servata scil. fuisse in arca lapidea, sub templo Jovis Capitolini, a custodibus decem, hæc carmina, ad Corn. usque Syllam, deinde, Augusto imperante, duobus forulis aureatis sub Palatini Apollinis basi, constat (hh).

2:0 *Annales populi Romani*, quibus memorabiles imperii res, maxime principum facta, magistratum nomina, & quæ fuerint cætera, ad gestorum cujusque anni memoriam perpetuo stabiliendam idonea, posteritati committebantur. — Collectione monumentorum, Historiæ Romanæ fructu consulentium insigni talium, nobiles imprimis fuere ædes Monetæ & Bibliotheca Ulpia, in templo Trajani primum, deinde in thermis Diocletiani, reposita. — Linteorum ædis illius librorum, ab optimis antiquiorum scrutatoribus rerum Romanarum summo fidei atque certitudinis studio excitatorum, frequenti nos monet commemoratione LIVIUS L. IV, cujus caput VII habet: "*Licinius Macer auctor est, & in foedere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetæ inventa*", cap. vero XIII: "*Nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen*", cap. item XX: "*Qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales, quodque magistratum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, nono post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant, existimatio communis omnibus est.*" & cap. XXIII: "*Ceterum in tam discrepanti editione & Tubero & Macer libros linteos auctores profiten-*

hh) Cfr. SÜETONII *Oct. Aug.* c. XXXI, & BARTHOL. MARIANI *Romanar. antiquitt.* L. II. c. X. atque L. III. c. VI.

fitentur", alia ut omittamus loca, lucis minus habentia. — De Ulpia² vero Bibliothecæ thesauris præprimis consulendus est FLAV. VOPISCUS, qui in vita Aureliani scripsit: "*Curabo autem ut tibi ex Ulpia Bibliotheca & libri lintei proferantur*", mox: "*Linteos etiam libros requiras, quos Ulpia tibi Bibliotheca, quum volueris, ministrabit*", & paullo tandem infra: "*Inveni nuper in Ulpia Bibliotheca inter linteos libros epistolam divi Valeriani*", nec paucis præterea locis fidem suam auctoritate monumentorum, in eadem Trajani Bibliotheca ad Historiæ Romanæ scrutatorum usum congestorum, inunitam testatur.

3:o *Edicta* quædam publica, vel *leges*, quarum tabulis propter communem quotidianumque hominum cujusque fortis usum sempiterna optanda maxime erat duratio. Quod e lege Constantini Magni de Alimentis, quæ inopes parentes de publico peterent, in Cod. Theodol. Lib. XI. tit. XXVII, his verbis: "*Æreis tabulis, vel Cerasfatis, aut Linteis mappis, scripta per omnes civitates Italiæ proponatur Lex, quæ parentum manus a parricidio arceat*", occurrente colligitur. Hinc etiam patet, *Mapparum* nomen lintearam haud aliud interdum significasse, quam quod *Librorum* etiam linteorum illo indicatum, quamvis proprium fuisse videatur descriptionibus & typis agrorum camporumque, quibus, quod

4:o tandem observandum, forma, limites indolesque diversa portionis cujusque, singulis eorum, quibus terrarum quid assignandum erat, tribuatæ determinaretur. Quantum enim ex HYGINI (ii) cæterorumque de re agraria & limitibus scriptorum constat testimoniis, non solum figuram situmque terrarum, fida æri vel linteo imagine tradita, depingere Ro-

ma

ii) *De Limitibus constituendis.*

mani moris erat, sed indices etiam, varias, quibus quæque agri pars dignosceretur, notas enumerantes singulaque in divisione observata describentes, firmis ejusdem materiæ tabulis concreditos, in sanctuarium s. archivum imperii, ut perennis rei certitudo conciliaretur, deponere. Typos quidem illos, a mappis nostris geodeticis parum habentes disimilitudinis, ad libros proprie referri non posse linteos, neminem fugit; his vero indicibus quid impediatur quominus eam, quibus alia vulgo eminuere scripta linteas, concedamus indolem, nulli videmus. — Sed — manum jam de tabula.

